

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignum Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiæ**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

S. Anicius Benedictvs à quibus ortus; & vnde Anicia Familia orta, & quare sic dicta sit. §. viij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38372**

S. Anicius BENEDICTVS à quibus ortus;  
& vnde ANICIA Familia orta,  
& quare sic dicta sit.

§. vij.

RTVS est igitur Diuus Pater noster  
BENEDICTVS, ex Anicia Familiā nobilissima Romana, quæ vti supra  
diximus, clarissima fuit etiam eo tempore,  
quo summa Romanæ Republicæ au-  
toritas penes Consules erat. Aniciorum vero originem  
suam à Troianis traxisse, auctor est quidam Don Ma-  
ria, in Epitaphio Leonis, filij Petri Leonis; qui de Ser-  
gesto Aeneæ socio loquens, ab eodem longo Patrum or-  
dine Perleones, qui ante erant Anicij, progenitos refert  
sic inquiens:

Quos Sergestus acer, patrum longo ordine  
fæuum,

Illustres animas, perque Ducum genera.

Mite genus hominū, sapiens, insigne, decorū,  
Nominis antiqui consepelit tumulus, &c.

Sergestus enim ille, quem hic auctor ob pugnæ milita-  
ris peritiam Acrem appellat, fuit Aeneæ socius, de quo  
Virgilius i. Aeneidos sic loquitur:

Mnestheæ, Sergestumque vocat.

Huius Don Mariae opinionem confirmare videtur, &  
constabilire Imperator Iustinianus, qui ex eodem san-  
guine Anicio lineam ducens, ubique Aeneidam se appel-  
lat

lat, ut videre est in eius epistolis in fine Chronici Casinensis excusis, & primo in illa quæ est ad Vigilium Papam, quæ sic incipit: In nomine D. N. I. C. Imperator Cæsar Flavius Iustinianus Aeneida, &c. Item in alia ad Placidum nepotem suum: In nomine D. N. I. C. Imperator Cæsar Flavius Iustinianus Aeneida, &c. repetuntur eadem verba & in privilegio eius, monasterio Casinensi dato, quod est fol. 205. Cuius consentit ipse Vigilius Papa, sic ad eum scribens: Pissimo & Serenissimo viatori, triumphatori, Flavio, Iustiniano, Constantino, Imperatori Augusto, Aeneide, Vigilius Episcopus sedis Apostolicæ senioris Romæ: &c. At Illustris D. Ioannes Petrus Villa de Canibus Messanensis Marchio, in tractatu suo quem de Inuentione corporum S. Placidi Abbatis & Martyris, ac socrorum scripsit, non solum contendit Anicos ab Anysi Aegypti Rege, qui regnauit tempore Oziæ Regis Iudæ, lineam consanguinitatis ducere, verum etiam sic ab eo cognominatos, & ex Anycijs, euphoniacæ causa, in Anicos tandem commutatos fuisse. Alij, Anicos casu dictos existimant, quod Anu matre natus referatur, qui primus familiæ nomen dedit. Eius opinionis est F. Onuphrius Panuinus in primo lib. Anicæ Frangipaniæ MS. & nondum excuso, cap. 2. ubi dicit: Vetustissimi in Italia familiarū auctores, ab euentis nomina propria, & appellationes sibi assumere confueuerunt, eademque postea posteris suis tanquam propria, & gentilitia relinquebant; ab

f 2 Ani-

Anicio itaque Anicij. Isq; Anicius ita forte fuit appellatus, quod matre Anu, ortus esset, id est, Vetula. Hac Panuinus, cuius sententia si vera esset, Anucij dicendi forent, & non Anicij. Ideo libentius ego illorum teneo sententiam, qui licet à quibus processerint Anicij non exprimant, certo tamen consilio nomen illis inditum afferunt, vt nimirum propter animi magnitudinem insuperabilem, aliasque virtutes & in bello, & in toga spectatas, ac cognitas invincibilis, accepto à Græco vocabulo, Anicij, id est, Inuicti, dicerentur. Vnde & S. Gaudentius Brixie Episcopus, cum in principio sermonis qui inscribitur de Macabæis, ipsos Sanctos Macabæos cum Anicijs contulisset, infra subiungit: Nemini absurdum videatur, quod eos paulò ante Anicijs comparaui, Anicij quippe ex Græco sermone, à nobis nuncupantur, Inuicti. Ab illo autem Anicio primo Familiae auctore, instituti Milites illi Legionarij, qui ab eius nomine in Occidente inter Pedites, Milites Anicij, sive Inuicti Seniores: in Oriente vero inter Auxiliares Palatinos Equites, Anicij, seu Inuicti Iuniores nuncupabantur. De quorum numero fertur fuisse S. Georgius Cappadox, & Martyr, vt in eius vita legitur statim in principio: Eo vero tempore quo talia gerebātur, erat vir quidam nobilis genere in eadem prouincia Cappadociæ, nomine Georgius, ex ciuitate Mellena, Tribunatus officium gerens, ex numero, scilicet, Illustrium prougnatorum, qui Græco vocabulo Anicij, Latinè autem

autem Inuīcti, siue Insuperabiles, dicebantur.  
Qui Inuīcti seniores erant, ut auctor est doctissimus  
Guido Pancirolus I. V. C. commentariorum in Notitiam  
Imp. Occident. lib. 2. c. 22. ipsi in rubra parma, album  
cippum præferebant, cui humanum caput præssini colo-  
ris, iubis Leoninis circundatum præfigebatur, tribusq; cir-  
culis, albo, luteo, et rubro, margo umbonis erat circumdu-  
etus. Qui autē Inuīcti Iuniores, ut idem afferit comment.  
in Notitiam Imp. Orientis, lib. 1. c. 56, in rubræ parma  
umbone cœruleum orbem, luteo circulo circundatum ge-  
rebat: cuius marginem duo circuli, cœruleus, viridisq;  
ambiebant. Quo vero temporis interuallo hoc nomen  
Anicij sibi promeruerint, non facile est peruestigare.  
Primus autem, qui in historijs reperitur Anicij cogni-  
mento condecoratus, fuit Quintus Anicius Prenestinus,  
qui testè Plinio lib. 33. c. 1. tantæ potentiae fuisse perbi-  
betur, ut etiam illo tempore, qui erat ab Urbe condita  
440. vel circiter, Romanis formidini fuerit: unde  
& ea de causa Republicæ hostis adiudicatus, in exilium  
actus sit. Sed reuocatus postmodum in Urbem, Aedi-  
lis Curulis, cum Cn. Flavio creatus est anno ab Urbe  
condita 450. Huius filij, nepotes, ac posteri, à maioribus  
acceptum decus ita conseruarunt, & amplificarunt, ut  
ex Anicia Familia amplius quadraginta Consules crea-  
ti legantur. Quorum omnium nomina, antequam ad ge-  
nealogiam texendam accedamus, ex Fastis, Capitolinis,  
Cassiodori, Panuinij, Sigonij, Golzij, R. P. D. Hierony-  
mi Bardi Florentini, Monachi Camaldulensis, & præ-

cipui

f 3 cipui

cipui nostri temporis historici, & antiquarij, R. P. Cesaris Baronij, & alijs instrumentis MSS. desumpta, cuius fuit hic adscribere, ut quoniam genealogiae, ab ipso suo exordio, seriem continuatam huius familie, usque ad prefatum Quintum Anicium Prænestinum in Scriptoribus non reperimus, ea ipsa genealogiae vice referantur.

## ANICIANÆ FAMILIAE CONSULES ROMANI, & PRÆTORES VRBIS.

### §. viii.

Anni Annī  
Vrbis. Christi.

- | Anni       | Annī   |   |
|------------|--|---|
| Vrbis.     | Christi.   |   |
| 450.       |  | Quintus Anicius Prænestinus, Adilis Curulis.      |
| 584.       |  | Lucius Anicius, L. F. M. N. Gallus; Prætor Vrbis. |
| 594.       |  | Lucius Anicius, L. F. L. N. Gallus; Consul.       |
| 818. 66.   |  | Amicius Cerealis Gallus; Cos. suffectus.          |
| 859. 107.  | L. Tutius Anicius Cerealis; Cos.                         |   |
| 919. 167.  | T. Vibraius Anicius Pollio; Cos.                         |   |
| 929. 177.  | T. Vibraius, Anicius, Pollio. II. Cos.                   |   |
| 968. 216.  | Amicius Cerealis, Cos.                                   |   |
| 1029. 277. | Amicius Paullinus Q. F. Cos. suffectus.                  |   |
| 1050. 298. | Amicius Faustus II. Cos.                                 |   |
| 1051. 299. | Amicius Faustus, Prætor Vrbis.                           |   |
| 1052. 300. | Amicius Faustus, Prætor Vrbis.                           |   |
| 1074. 322. | Amicius Julianus, Cos. Primus Christianus.               |   |
| 1077. 325. | M. Junius Cesonius Nicomachus, Amicius Faustus Paulinus. |   |
| 1078. 326. | Amicius Julianus, Prætor Vrbis.                          |   |
| 1079. 327. | Amicius Julianus, Prætor Vrbis.                          |   |
| 1080. 328. | Amicius Julianus, Prætor Vrbis.                          |   |
| 1083. 331. | Amicius Paullinus, Prætor Vrbis.                         |   |
| 1084. 322. | Amicius Paullinus, Prætor Vrbis.                         |   |
| 1086. 334. | Amicius Paullinus Iunior, Cos.                           |   |
| 1086. 334. | Amicius Paullinus, Prætor Vrbis.                         |   |
| 1111. 359. | Amicius Tertullus, Prætor Vrbis.                         |   |

Anicius